



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

6 Quid circa hoc sciuerit, & qui ignorauerit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

materie diffuse de-  
clarat, hoc intelligit  
p se: qñ per accis  
pars intellectua in-  
pedi uegetatiua, &  
ecora. Experimentu. n.  
altus uegetatiua, &  
digerendo, & calera  
ciedo, & fumando,  
&c. pdesse, & obel-  
se uirtutibus mini-  
stratibus intellectus,  
adeo ut qdã penitus  
prietur intellectu,  
ut faui, & ebrui, &c.  
qdã claru uideatur  
fortiu intellectu ex  
claritate spiritus ex  
uegetabili generato  
ru. Econtra experi-  
mur etiã q exercita-  
tio intellectus nocet  
parti uegetatiua qñ-  
que, ut immedie  
post cibũ, q calor &  
spũ debet seruire  
uegetatiua parti tra-  
hatur ad ministran-  
dũ cogitatur, me-  
moratur, & huius  
ministratibus intelle-  
ctui. Quicq etiã con-  
fert exercitatio intel-  
lectus uegetatiua, p  
quã ponit in exer-  
cicio, & labore uirtu-  
tes sibi ministrat.  
Laboru, & exerci-  
tũ parit corporaliũ  
si moderate, & spe-  
cogno fiat, ad dige-  
stionem conferunt.

**RESPON.** Dicendum, quod in  
raptu, de quo nunc loquimur, vir-  
tute diuina eleuatur homo ab eo  
quod est secundum naturam, in  
id quod est supra naturã: & ideo  
duo considerare oportet. Primò  
quidem quid sit homini secundũ  
naturã. Secundò, quid diuina vir-  
tute in homine sit siendum supra  
naturam. Ex hoc autem quòd ani-  
ma corpori vnitur tamquam naturalis forma ipsius,  
conuenit animæ naturalis habitudo ad hoc, quod  
per conuersionem ad phantasmata intelligat. Quod  
quidem ab ea non aufertur diuina uirtute in raptu,  
quia non mutatur status eius, ut dictum est. Man-  
te autem hoc statu aufertur ab anima actualis con-  
uersio ad phantasmata, & sensibilia, ne impediatur  
eius eleuatio in id, quod excedit omnia phantasma-  
ta, ut dictum est: & ideo in raptu non fuit necessã-  
rium quod anima sic separaretur à corpore, ut ei nõ  
vniatur quasi forma. Fuit autem necessarium intel-  
lectum eius abstrahi à phantasmatibus, & sensibi-  
lium perceptione.

**AD PRIMVM** ergo dicendum, quod Paulus in  
raptu illo peregrinabatur a Domino quantum ad  
statum, quia adhuc erat in statu viatoris: non autem  
quo ad actum, quo uidebat Deum per speciem, ut  
ex predictis patet.\*

**AD SECVNDVM** dicendum, quod potentia  
animæ uirtute naturali non eleuatur supra mo-  
dum conuenientem essentia eius. Virtute tamen  
diuina potest in aliquo altius eleuari: sicut corpus  
per violentiam fortioris uirtutis eleuatur supra lo-  
cum conuenientem sibi secundum speciem suã  
naturã.

**AD TERTIVM** dicendum, quod vires animæ  
uegetabilis non operantur ex intentione animæ,  
sicut vires sensitiua, sed per modum nature: & ideo  
non requiritur ad raptum ab eis abstractio, sicut a  
potentis sensitiuis, per quarum operationes minu-  
etur intentio animæ circa intellectuam cog-  
nitionem.

**ARTICVLVS. VI.**  
**Vtrum Paulus ignorauerit, an anima  
eius fuerit à corpore separata.**

**AD SEXTVM** sic proceditur. Vi-  
detur, quod Paulus nõ igno-  
rauerit, an eius anima fuerit a cor-  
pore separata. Dicit enim ipse 2.  
ad Corinth. 12. Scio hominem in  
Christo raptum usque ad tertium  
cælum: sed homo nominat com-  
positum ex anima, & corpore, ra-  
ptus etiam differt a morte. Vide-  
tur ergo q ipse sciuerit animam  
non fuisse per mortem a corpore  
separatã, praesertim quia hoc cõ-  
muniter a doctoribus ponitur.

**¶ 2 Præt.** Ex eiusdem Apostoli ver-  
bis patet, quod ipse sciuit quo ra-  
ptus fuerit, quia in tertium cælũ:  
sed ex hoc sequitur, quod sciue-  
rit vtrum in corpore fuit, uel nõ:  
quia si sciuit tertium cælum esse  
aliquid corporeum, consequens  
est, quod sciuerit animam non esse a corpore  
separatã, quia visio rei corporeæ non potest fieri  
nisi per corpus. ergo uidetur quod non ignoraue-  
rit, an anima fuerit a corpore separata.

**¶ 3 Præt.** Sicut August. dicit 12. \* super Genes. ad literam. Ipse in raptu uidit illa uisione Deum, qua uidet  
sancti in patria: sed sancti ex hoc ipso quod uident  
Deum, sciunt an animæ eorum sint a corporibus  
separatæ, ergo & Paulus hoc sciuit.

**SED CONTRA** est, quod dicitur 2. ad Corinth.  
12. Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus  
scit.

**RESPONDEO.** Dicendum, quod huiusmo-  
di quaestionis ueritatem accipere oportet ex ipsius  
Apostoli uerbis, quibus dicit se aliquid scire, scilicet  
se raptum esse usque ad tertium cælum, &  
aliquid nescire, scilicet utrum in corpore, aut ex-  
tra corpus: quod quidem potest intelligi dupliciter.  
Vno modo, ut hoc quod dicitur, Siue in  
corpore, siue extra corpus, non referatur ad ipsum  
esse hominis rapti, quasi ignorauerit an anima eius  
esset in corpore, an non: sed ad modum raptus,  
ut scilicet ignorauerit, an corpus eius fuerit simul  
raptum cum anima in tertium cælum, uel non,  
sed solum anima, sicut Ezechiel. octauo dicitur,  
quod adductus est in uisionibus Dei in Hierusalem.  
Et hunc intellectum fuisse cuiusdam Iudæi exprimit  
Hieronymus in prologo super Daniele, \* ubi  
dicit. Denique & Apostolum nostrum, scilicet  
dicebat Iudæus, non fuisse ausum affirmare se cor-  
pore raptum: sed dixisse, Siue in corpore, siue ex-  
tra corpus, nescio. Sed hunc sensum reprobatur Au-  
gustinus 12. \* super Genes. ad litteram, per hoc  
quod Apostolus dicit sciuisse se esse raptum, usque  
in tertium cælum. Sciebat ergo uerum esse tertiu cæ-  
lum id, in quod raptus fuit, & non similitudinẽ ima-  
ginariam tertii cæli. Alioquin si tertium cælũ nomi-  
nauit phantasma tertii cæli, pari ratione dicere potuit  
se in corpore raptum, nominans corpus proprii cor-  
poris phantasma, quale apparet in somniis. Si autem  
sciebat esse uerum tertium cælum, sciebat ergo aut  
esse aliquid spirituale, & incorporeum: & sic non

Secunda Secunda S. Tho. HiH 4 poe-

*Super Quæst. cente-  
simã septuag. simã quim  
sa. Articulu sextum.*

**I**N ar. 6. eiusdem  
q. in respõsione  
ad ultimu, ubi  
August. recitatus di-  
cit. Hoc dicitur Paulo  
raptu ad plenã pfe-  
ctãq; cognitione re-  
rii, q Angelis inest,  
& c. cauis esto, & nõ  
intelligas q hoc tñ  
defuerit qñ, ut dixi-  
mus, simile est, im-  
mo maius iudicium  
de multis aliis, quã-  
doquidẽ multa alia  
nõ pertinebãt ad ip-  
sum Paulũ. Si autem  
in corpore uel extra  
corpus esse, uel rapti,  
ad se pertinebat. Re-  
minit autẽ huius so-  
lus August. non qñ  
hoc solũ exceptũ sit,  
sed quia hoc solum  
scriptum est. Et hæc  
de quæst. 175.

Veri. q. 13.  
artic. 5. El. 2.  
Cor. 12. lec.  
1. 6n.

Lib. 12. c. 23.  
rom. 3.

A medio il-  
lius. Incipit.  
Danielem  
Prophetam,  
tom. 6.  
lib. 12. c. 2. 3.  
4. & 28. 10. 3.

poterat corpus eius illuc rapi, aut esse aliquid corporeum: & sic anima non posset illuc sine corpore rapi, nisi separaretur a corpore. Et ideo oportet secundum alium sensum intelligere, ut. s. Apostolus sciuerit, quod fuerit raptus secundum animam, & non secundum corpus, nesciuerit tamen qualiter se haberet anima ad corpus, utrum. s. fuerit sine corpore, vel non. Sed circa hoc diuersimode aliqui loquuntur. Quidam enim dicunt, quod Apostolus sciuit, quod anima sua erat corpori vnita ut forma, sed nesciuit utrum esset passus alienationem a sensibus, vel et utrum esset facta abstractio ab operibus animae vegetabilis: sed quod fuerit facta abstractio a sensibus. hoc non potuit ignorare, ex quo sciuit se raptum. Quod autem fuerit facta abstractio ab operibus animae vegetabilis, non erat tantum aliquid, ut de hoc oporteret tam sollicitam fieri mentionem. Vnde relinquunt quod nesciuit Apostolus, utrum anima eius fuerit coniuncta corpori ut forma, vel a corpore separata per mortem. Quidam autem hoc concedentes dicunt, quod Apostolus tunc non perpendit quoniam rapiebatur, quia tota eius intentio conuersa erat in Deum, sed postmodum percepit, considerans ea quae uiderat: sed hoc et contrariatur uerbis Apostoli, qui distinguit in uerbis suis praeteritum a futuro. Dicit enim in presenti se scire quod fuit raptus ante annos quatuordecim. & se in presenti nescire, utrum in corpore fuerit, vel extra corpus: & ideo dicendum, quod prius, & postea nesciuit, utrum anima fuerit a corpore separata. Vnde Augustinus dicit \* 12. super Genes. ad litteram, post longam inquisitionem concludens. Restat ergo fortasse, ut hoc ipsum eum ignorasse intelligamus, utrum quando in tertium caelum raptus est, in corpore fuerit anima, quomodo est anima in corpore, cum corpus uiuere dicitur siue uigilantis, siue dormientis, siue in extasi a sensibus corporis alienati, an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus iaceret.

Lib. 12. ca. 5. tom. 3.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod per synecdochen quandoque pars hominis homo nominatur, & praecipue anima quae est pars hominis eminentior. Quamuis etiam possit intelligi, eum quem raptum dicit, non tunc fuisse hominem quando raptus fuit, sed post annos quatuordecim. Vnde dicit, Scio hominem: non dicit, Scio raptum hominem. Nihil etiam prohiberet mortem diuinitus procuratam, raptum dici. Et sic Augustinus \* dicit 12. super Genes. ad litteram. Dubitante inde Apostolo, quis nostrum inde certus esse potuit? Vnde qui super hoc loquuntur, magis coniecturaliter, quam per certitudinem loquuntur.

Lib. 12. ca. 3. a med. to. 2.

AD IIIV. dicendum, quod Apostolus sciuit, vel illud caelum esse quid corporeum, vel aliquid incorporeum a se uisum in illo caelo, cum hoc potuerit fieri per intellectum eius, etiam si anima non esset a corpore separata.

Lib. 13. cap. penul. a medio, tom. 3.

AD IIII. dicendum, quod uiso Pauli in raptu quantum ad aliquid fuit similis uisioni beatorum, scilicet quantum ad id quod uidebatur: & quantum ad aliquid dissimilis, scilicet quantum ad modum uidentis, quia non ita perfecte uidit sicut sancti, qui sunt in patria. Vnde Augustinus dicit \* 12. super Genes. ad litteram, Apostolo arrepto a carnis sensibus in tertium caelum, hoc defuit ad plenam perfectamque cognitionem rerum quae angelis inest, quod siue in corpore, siue extra corpus esset, nesciebat. Hoc itaque non deerit receptis corporibus in resurrectione mortuorum, cum corruptibile hoc induerit corruptionem.

QVAESTIO CLXXVI.  
De gratis gratis datis, quae pertinent ad locutionem, in duos articulos diuisa.

**H**EINDE considerandum est de gratis gratis datis quae pertinent ad locutionem. Et primo, de gratia linguarum. Secundo, de gratia sermonis, sapientiae, seu scientiae.

**C**IRCA primum quaeruntur duo. Primo, utrum per gratiam linguarum homo adipiscatur scientiam omnium linguarum. Secundo, de comparatione huius doni ad gratiam prophetiae.

ARTICVLVS PRIMVS.  
Utrum illi qui consequantur donum linguarum, loquantur omnibus linguis.

**A**D PRIMVM sic proceditur. Vt illi qui consequantur donum linguarum, non loquantur omnibus linguis. Illud enim quod diuina uirtute aliquibus conceditur, optimum est in suo genere, sicut dicitur in uinum bonum, sicut dicitur Ioan. 2. sed illi qui habuerunt donum linguarum, melius loquebantur in propria lingua. dicit enim gl. ad Hebr. 1. \* non esse mirandum, quod epistola ad Hebr. maiore eluceat facundia, quam aliae, cum naturale sit unicuique plus in sua quam in aliena lingua ualere: ceteras enim epistolas Apostolus peregrino, id est, graeco sermone composuit, hanc autem scripsit hebraica lingua. non ergo per gratiam gratis datam Apostoli acceperunt scientiam omnium linguarum.

**¶** 2. Praet. Natura non facit per multa, quod potest fieri per unum, & multo minus Deus, qui ordinatius quam natura operatur: sed poterat Deus facere ut unam linguam loquentes eius discipuli, ab omnibus intelligerentur. Vnde super illud \* Act. 2. audiebant uniusquisque lingua sua: illos loquentes, dicit gl. quod linguis omnibus loquebantur, uel scilicet, hebraica lingua loquentes ab omnibus intelligebantur, ac si propriis singulorum loquerentur, ergo uidetur quod non habuerunt scientiam loquendi omnibus linguis.

**¶** 3. Praet. Omnes gratiae deriuantur a Christo in corpus eius, quod est Ecclesia, secundum illud Ioan. 1.